



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

XIX. Wilmar, Bischof von Brandenburg, bestätigt die Stiftung des Domcapitels auf der Burg 1166.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

domino nostro Friderico, Romanorum imperatore, dati et sigillo imperiali confirmati. Et ne ulla persona hoc factum nunc vel in posterum temere immutare presumat, illud a Brandenburgensis ecclesie prefato episcopo Wilmaro sub anatematis sententia coram ecclesia confirmatum omnis posteritas cognoscat. Hujus donationis et confirmationis testes sunt: comes Adelbertus et comes Bernhardus, filii marchionis Adelberti, Badericus, castellanus de Brandeburch, Sifridus, castellanus de Arneburch, Germanus de Gummere, Gerhardus Falco. Facta et data est hec pagina anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. LXIII<sup>o</sup>. indictione XII III. nonas Junii.

Nach dem Originale. Auf der Rückseite steht: Datum per copiam. — Gercken's Stifteh. S. 354.

### XIX. Wilmar, Bischof von Brandenburg, bestätigt die Stiftung des Domcapitels auf der Burg 1166.

— Notum facimus universitati fidelium tam presentium quam futurorum, quod ego Wilmarus, Brandenburgensis ecclesie episcopus, canonicos ordinis Premonstratensis, quos olim pie memorie ejusdem ecclesie episcopus Wigerus ante castrum Brandenburg in ecclesia beati Godehardi scilicet in parrochia ejusdem ville, que dicitur Parduin, collocaverat, ego, inquam, consilio et auxilio Wigmanni, venerabilis sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopi, et Brandenburgensis marchionis Adelberti, et marchionis Ottonis, filii ejus illos in ipsum castrum Brandenburg in sedem pontificalem, quam pie memorie Otto imperator fundavit, transposui et perpetua stabilitate, auctoritate patris et filii et spiritus sancti et beati Petri, apostolorum principis, cujus idem episcopatus est, et nostra, ex deo collocavi, concedens et omnimodis stabiliens, ut omne jus tam in archidiaconatu et electione pontificis quam in aliis, quod cathedrales canonici habere debent, habeant et ibi in perpetuum obtineant. Ipsam ergo ecclesiam beati Godehardi, a qua migraverunt, quam perpetua stabilitate cum parrochia prefate ville Parduin a pie memorie episcopo Wigero receperant, ipsam, inquam, et si que alie ecclesie in eadem villa fuerint in posterum edificate, omnes illas cum parrochia totius prefate ville nec non et ecclesiam beate Marie in monte, que dicitur Harlungberg, Ottone marchione sic volente et sui juris donum in perpetuum concedente, prefatis canonicis in perpetuum beati Petri apostoli auctoritate et nostra confirmamus. Ut hujus ergo confirmationis scriptum, remota omni ambiguitate et contradictione, ratum permaneat, illud ego et marchio Otto sigillorum nostrorum impressione communivimus. Si qua ergo persona clericalis aut laicalis hoc factum irrumperere presumpserit, sit anathema Maranatha. Hujus testes sunt Wigmannus, sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus, Walo, Havelbergensis episcopus, Evermodus, Racesburgensis episcopus, Wibertus, ejusdem loci prepositus, Reinherus prepositus de Lizeche, nec non et tota ejusdem ecclesie synodus. Actum anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. LXVI<sup>o</sup>. indictione VII. concurrente II. epacta VI. feliciter. Amen. Amen. Amen.

Nach dem Originale. — Gercken's Stifteh. S. 356.